



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Vt ab excommunicationibus tuti essent Episcopi, patrocinium Regum interpellabant. Quod probatur duabus epistolis Caroli Calvi. Primâ, Hadrianum II. monet, alienum esse à canonibus ut Episcopus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

uatorum appellationes admittentur. Hæc rescripta à canonibus aliena ministris tribuit, non Pontifici. Transalpini privilegia exactius seruanda, quia longè absumt ab urbe Roma. Id paci Ecclesie congruit. Iudicia legibus & canonibus contraria, nulla esse docet.

V. Eo seculo persuasum erat iudicia Patriarcharum contra canones lata, nullius esse momenti, è dispensatione Zacharie & Metrophanis in Oltava Synodo. Earegula petita è Concilio Ephesino.

VI. Quod intelligendum est, si contra manifestam juris formam expressum pronuntietur. Non privatis, sed Ecclesie Gallicane vel Principi licuit eo casu suspendere executionem rescriptorum.

I. CETERUM, ut fieri solet in his contentioneibus quæ de iurisdictione oriuntur, supremæ illius auctoritatis apostolicæ pondere sæpius premebantur Episcopi Gallicani; adeo ut si se acriores vindicantes antiquorum canonum præstarent, & rerum à Romana curia decretarum executioni intercederent, frequentibus excommunicationum minis urgerentur. Quod Hincmaro accidit; qui cum peritiam Iuris canonici censeretur, & ordinationis tempore ceteris Metropolitanis potior esset, rerum in Gallicanis Synodis constitutarum adversus Romanam rescripta invidiam in se unum convertit; ideoque à Nicolao I. comminatione excommunicationum oburgatus est. *Mihi verò*, inquit in epistola ad Nicolaum, *neceffe erit me taliter gerere ne totiens auctoritatis vestre epistolas excommunicationes intendant & oburgationes (quas raro & magna necessitate fendas in apostolicorum virorum literis legimus) ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus peccatis meis merentibus frequenter accipi. Quod si sanctitati vestre placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec apostolica vestra iussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, invenit. Non potuit modestius Nicolaum monere, excommunicationi non esse locum, nisi cum per contemptum canones violantur.*

II. Quare Episcopi Gallicani, ut se ab excommunicationibus tutos præstarent, Reges custodiæ canonum & Clericorum à Christo præfectos interpellabant, ut auctoritate sua novorum decretorum executionem impedirent, à qua ipsi Episcopi interim abstinebant. Susceptum à Regibus canonum patrocinium ex illis epistolis probari potest quas Carolus Calvus ad Hadrianum II. Pontificem & Ioannem VIII. dedit. In illa, de Episcopi dejecti appellatione, in hæc, de Presbyteris damnatis agitur; & in utraque de vindicandis canonibus acriter disceptatur; quamvis in prima Carolus etiam causam suam ageret. Hincmarus Laudunensis Episcopus trium synodorum Gallie iudicio depositus, & post damnationem auctoritate

Principis custodiæ traditus, quòd contra quietem publicam quædam moliretur, Romanum Pontificem appellavit. Certum quidem erat apostolicæ sedis auctoritate iudicium renovari potuisse juxta canones Sardicenses, de quo nulla erat controversia apud Episcopos Gallicanos. Sed visum fuit Hadriano II. Romæ iudicium illud agendum, & non in provincia; contra quam & Sardicensi canone & decretis Pontificum cautum esset. Itaque literis ad Carolum Regem datis jubet Hincmarum Laudunensem *regia fretum potentia ad limina sanctorum Romam mitti, quòd accusator idoneus se conferret; ut presente Pontifice, & totius Romane sedis synodali collegio, causa discuteretur.* Agerrimè tulit Princeps se præceptis & iussionibus à Pontifice urgeri, qua de re dicitur cap. XII. Sed ad quæstionem presentem quod attinet; cum Carolus multis docuisset alienum esse à canonibus & legibus ut damnatus Episcopus Romæ iudicandus sistatur, sed in provincia retractandum esse iudicium, subiungit hæc verba: *Quia, ut sanctus Hilarus Papa dicit, non minus in sanctorum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini proflitur.*

III. Eleganti autem locutione utitur Carolus, ut doceat apostolicæ sedis iudicia, quæ per obreptionem canones infringunt, non esse servanda; quia, ut inquit ille, *ex privilegio beati Petri lata non sunt.* Genus illud loquendi hautum est è Leone I. cujus hæc sunt verba: *Dicitur à Domino, beatissimo Petro, Tibi dabo claves regni caelorum, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in caelis.* Transiit quidem etiam in alios apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesie principes decreti huius constitutio commearit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. *Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesie rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate feritur iudicium.* Hunc locum ita edisserit Hincmarus Remensis, qui epistolæ est auctor, ut pateat ea iudicia, quæ canonica æquitate non nituntur, nullius esse momenti, utpote quæ privilegio Petri destituta sunt; cuius privilegij perpetuò debet esse indivulsa comes, beati Petri sinceritas & æquitas. *Qua sententia constat, inquit Hincmarus sub nomine Caroli, quia non manet Petri privilegium ubi ex ipsius æquitate non feritur iudicium. Cum enim ubicunque dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesie, ex Petri æquitate iudicium ferens excipitur, vel contra illius æquitatem iudicium proferens commendatur. Et quia ubicunque sine ulla exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate*

Epistola Caroli Calvi ad Hadrianum II. inter epistolæ Hincmari editæ, Parisi.

Leo I. serm. 1. Anniæ.

In eadem epistola Caroli: Ergo iudice & iudicate privilegio magno Petri iuxta æquitatem eius iudicium que subinde & iudicanda sunt; ac, ut dicitur eum Constantium, vituperare ministrum vestrum. Quia & nos seculum regimus ministerium nos.

Apud Hadrianum II. serm. 1. Anniæ.